

B. m. Gothard  
oekellen

F 7702

Biogr. er. D  
1548,36







# PROGRAMMA

In Funere

*Illustris JureConsulti*

**JOHANNIS GOTHARDI**  
von **BOEKELLEN**

Juris Canonici & Feudalis Professoris  
Ordinarii, & Dicasterii Guelpherbytani

Assessoris

*Celeberrimi Viri*

P. P.

*In Academia Julia*

Ad d. V. Martii MDCCII.



HELMESTADII

TYPIS GEORG WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.

googr. erud.

2) 1548,36



FROGEMMA

In Funic

Magister Juris

JOHANNIS GOTTHARDI

VON BOKELLEN

Juris Canonici & Feudalis Professoris

Ordinarii & Dicastri Guelpherbyani

Abbatis

Colectorii Nisi

P. P.

In Academia Julia

Ad d. V. Martii MDCCLII



HELMSTADT II

Juris Geor. Wolfgangi Hammi, Acad. Tyros.



**PRORECTOR ET SENATUS  
ACADEMIÆ JULIÆ  
S. D.  
CIVIBUS.**

**D** *A spatium vite, multos da Conditor annos:  
Hoc recto vultu, solùm hoc & pallidus optem?  
O curas hominum! Quantum est in rebus inane!*

Ita ex monumento suo, quo exuvias heri vesperi condidimus, in exequiis, quas hodie mœsti facimus, blando murmure postremò accinit, præmaturâ morte publicæ rei ereptus *Illustris JureConsultus*, JOHANNES GOTHARDUS von BOEKELLEN, vita dignus longiore, ac canam promeritus senectutem. Nos licet seros Optimo Viro precemur annos, irrita tamen nostra vota vanamq; spem deplorabimus. Nobis sollicitis, ac negatam defuncto senectam meditantibus, oraculi instar respondebit: *Pauci dignoscere possunt*

*Vera bona, atque illis multum diversa, remotâ*

*Erroris nebula. Quid enim ratione timemus*

*Aut cupimus? Quid tam dextro pede concipis, ut te*

*Conatus non pœniteat, votique peracti?*

*Evertere domos totas optantibus ipsis*

*Dii faciles. Nocitura toga, nocitura petuntur*

*Militia, & torrens dicendi copia, multis*

*Et sua mortifera est facundia.*

Non negamus piis Manibus, quod ultimus ex beato antro monet spiritus: Ad senectam anhelare, ad malorum esse  
sedem



sedem, non tranquillitatis metam contendere. *Quam continuis & quantis longa senectus plena malis?* Abunde & hac sua sensim ingravescente ætate expertus Vir prudens, quam sit longa imminens senectus aspera & nodosa, labore & luctu plena. Siquidem

Hæc data pœna diu viventibus: *Ut renovatâ  
Semper clade domus, multis in luctibus, inque  
Perpetuo mœrore & nigra veste senescant.*

Cui proinde per omnem vitam non nisi *mens bona, fama, fides*, curæ fuere cordique, non senectutis expectavit difficultates, non defluentem in canis anxie quæsitivam nivem, sed divinæ providentiæ vitæ cancellos, dum vixit, pie & sapienter concessit. Verbo; fortem poposcit animum & mortis terrore carentem, qui spatium vitæ extremum inter munera poneret naturæ, qui ferre quiret quoscunq; labores: Nesciret irasci, cuperet nihil, & potiores Herculis ærumnas crederet sævosque labores, & venere, & cœnis, & plumis. Ita semita huic tranquillæ patuit unica vitæ. Nullum numen abfuit, cum esset prudentia.

Prudenti itaq; viro dum justa persolvimus, genere, virtute & doctrina excellenti dum ultima hodie sacra facimus, justum & pium est, fata, vitæ seriem, finemq; præmaturum generosi pectoris brevibus percensere. Vitæ hujus, si vita est, nec mortis potius & minacis fragilitatis tessera, initium cepit, dum primam hausit auram circa superioris seculi meditullium, Anno MDCXLV. d. IX. Julii. Sic lucem hanc vidit, dimidio vix elapso seculo illam cum tenebris iterum commutaturus. Ut est scenæ hujus umbra levis. Vix oculos aperuimus, quando ad claudendos taciti nos componimus. Patriam invenit Ducalem ultimorum Saxo-Lauenburgensium Principum sedem, Razeburgum. Ut suum singulis divina providentia tribuit locum, ubi primam quisq;  
lucis



lucis usuram capiat, inde per orbem incerta sede trahendus.  
Nec enim in mundum venimus aliter, quàm in diversorium,  
non commorandi sed commeandi fine.

Parentum ac proavorum imagines, generis dignitate  
spectabiles ac nobili prosapiâ claras, hæc charta non capit  
omnes. Meminimus quoq;, beatum Virum, qua erat mo-  
destiâ, generosam in Majoribus suis virtutem longo sangui-  
ni præferre solitum, qui frequenter in ore haberet:

Tota licet veteres exornent undique ceræ

Atria, Nobilitas sola est atque unica *virtus*.

Paulus, vel Cossus, vel Drusus, moribus esto:

Hos ante effigies majorum pone tuorum:

Præcedant ipsas illi te consule virgas.

Prima mihi debes *animi bona, sanctus* haberi

*Justitiæque tenax, factis dictisque, mereris.*

Brevibus adeo illustrem attigisse stirpem nunc suffecerit.

Patre nimirum usus est *Illustri atque Excellentissimo viro,*

MARTINO von BOEKELN. *Regiæ primum Majestatis Sue-*

*ciæ in Ducatibus Bremensi & Verdensi, Brunsvicensium dein*

*ac Lunenburgensium, ut & Saxonum, postremo Slesvico-Holsa-*

*torum Ducum Consiliario intimo & Cancellario; Matre, gene-*

*rosissimâ JUDITHA CHRISTINA TANCKEN. Ex pa-*

*tre, avus, MARTINUS von BOEKELN, Megapolitanorum*

*Ducum sanctior Secretarius, tantæ prudentiæ & sagacitatis*

*vir, ut pacis & belli tempore, inter ipsa quoque hostilia &*

*victricia Wallensteiniana arma, mutatâ sæpius regiminis*

*formâ, dignitatem & officium ad vitæ usque finem raro fa-*

*cto conservaret: Cujus costa ANNA ECKELS. Ex matre,*

*avus extitit OTTO TANCKEN, Præpositus Capituli &*

*Syndicus liberæ ac Imperialis urbis Lubecæ: Avia, STEUR-*

*NAGELIA, Cameræ Imperialis, Spiræ quondam locatæ,*

*clari Assessoris filia. Ceterum notius est nobile Brabant-*



num Bœkelianum stemma, quam ut opus sit pictos ostendere vultus Majorum. Nec opus est generis tabula jactare capaci CORNELIUM von BOEKELN, Nostri abavum, qui ob evangelicæ religionis professionem à feroci belli Imperatore Albano Duce, nigræ notæ milite, patria Brabantia cum aliis multis pulsus, Germaniam petiturus, abstrahi per hostem à pietate non potuit, quin convasatâ potius papyri mole suppetias Luthero novæque Bibliorum editioni ferre constituit: Tametsi in itinere de obitu Lutheri certior factus, Hamburgum cum tota familia se conferret. Quanquam verò religionis amor & fidei servandæ studium, armorum injuriâ, generis splendorem in exilio, sub alio cœlo, aliquantulum obnubilari permetteret, pristinam tamen lucem in MARTINO von BOEKELN, fortunato Nostri parente, inclyta Bœkeliana gens recuperavit, Carolo XI. Suecorum Rege arbitro gloriosissimo. Quippe qui A. MDCLXVIII. d. XVIII. Aug. ob insignia merita, & in componendis in Moguntina ac Palatina Electoralibus domibus, quæ in Suecum compromiserant, diffidiis, sagacitatem, aliaque regis negotia feliciter ac prudenter confecta, antiquam generis nobilitatem pristinæ amplitudini restituit. Fecit & ipse aliquid, propter quod nobilis esset. Mittimus nunc agnatos alios clarissimos, ne videatur Noster alienæ incumbere famæ, ne collapsa ruant subductis tecta columnis. Præterimus ex laudato Cornelio de Bœkeln prognatos magnos viros, in choro & foro, saga & toga, eminentes, propinqua affinitate Nostro conjunctos. In quibus HENRICUS JULIUS de BOEKELN, Caroli IX. Sueciæ regis inter ignivomos milites Chiliarcha: PETRUS de BOEKELN, munitæ Danorum arci Schifelbein regia autoritate imperans. Cognati pariter, inclytus heros, in Friderici III. Dani curia primus Minister, GABEL, MITHO-  
FIL,



FII, Cancellariorum gloriâ effulgentes, inclyti MEIBOMII,  
& fortes belli Suecici Duces, HOTENSLEBII & TIDE-  
MANNI. Qui omnes dum multa futuræ laudis egerunt,  
generosam in Nostro indolem augurantur.

Quam ut contemplemur, apertum, à baptismi sacramen-  
to, quo ad fidem & pietatem obligatus, Lubecæ, parentum  
consilio solerti ejus educationi fuisse invigilatum. In quo  
igitur belli ingenii indicia mature observarentur, privatæ  
traditus informationi, ad pietatis & justæ rectique amorem  
fuit ductus. Linguae eruditæ vernaculæ cognitione im-  
buendus, & humaniorum artium adjumentis tempestive  
instruendus, Mejeri, Bangerti & Polzii, clarorum Lubecen-  
sis scholæ moderatorum institutioni commendatus est.  
Quorum studio, pro ingenii elucescentis aptitudine discen-  
dique promptitudine, egregios fecit profectus. Parentem,  
Hanseaticarum urbium nomine ad Batavos legatum, comi-  
tatus, cum ad Anglos illum ex officio digredientem vidis-  
set, Roterodami substitit, vitæ ac studiorum præfectum,  
virum expertum, patris nutu nactus. Ex Anglia in patriæ  
sinum redeuntem carissimum patrem secutus filius. Cujus  
humaniora elegantioraque studia cum illum habitum es-  
sent consecuta, ut ex uberiori Academica institutione ma-  
turitatem consequi possent, parentum arbitrio A. MDCLX,  
florente adolescentia, quinto & decimo ætatis anno, in Ro-  
stochiensem commigravit Academiam, D. Marchii mensâ,  
& Morhofii tecto inque ejus disciplinam receptus. Quo-  
rum amore & consiliis eo cum fructu atque emolumento  
usus, ut amplis atque necessariis ex philologia & philosophia  
præfidiis quæsitis, ad spatiosum & honorabile Juris forum,  
studiaque eò pertinentia excolenda adscisceretur. Cele-  
brium Doctorum, Lemkenii, Willebrandi, Redekeri &  
Woldenbergii publicas privatasq; lectiones sedulus atten-  
tusque



tusq; audivit. Positis feliciter primis illis Jurisprudentiæ fundamētis, in Almam hanc Juliam commearē jussus, in D. Tappii domum & convictum acceptus, excellentem Clarissimi CONRINGII doctrinam Politicam, quam publice privatimque profiteretur, a vide arripuit. Juris studio se totum mancipaturus, celeberrimos porro JOTOS, HAHNIUM, BINNIUM, GLÆSERUM, WERNERUM, EICHELIIUM, admirabili docendi methodo usos, illa attentione atque sollicitudine audivit, ut dexterrime docentium solidissimeque erudientium comes esset individuus. Qui proficiendi ardor, eruditionis & futuræ dignitatis desiderio ita Nostrum accendit, ut in laudatorum Professorum cathedris, Eichelii præsertim, sui tandem soceri, Collegio disputatorio, responsuri ac jura defensuri, aut pro ingenii acie excussuri laudabili contentione, frequens compareret. In quorum scholis incomparabile & hoc juris adjumentum perdidicit, qui fontes & origines rationesque legum aut veterum effatorum scrutaretur, sive in Naturæ Juris arcanis atque tabulis, sive in rerum olim gestarum vinculis quærere oporteret. Quo effecit, ut parens hinc evocatum sibi iterum jungeret, quando à Suecorum rege, Mævii comitatu stipatus, ad Rhenum abiit legatus, lites in Electorali domo Palatina cum Moguntina de prætenso Wildfangiatus jure ortas compositurus. Quod iter Nostro tam fortunatum, tamq; amœnum, ut Celsissimorum illorum Principum gratiâ, & Curialium aliorumq; Magnatum benevolentiam frueretur abunde. Quam fortunam cum præclara patris in publicam rem merita, tum compositi ad majora assurgentis juvenis nostri mores apte conciliarunt. Quæ via quoque aperta, ut Heilbrunnensi Laudo A. MDCLXVII. adesset, inq; Gallici Legati Courtin, & Argentoratensium ocelli Bœcleri, ac Heidelbergensium decoris Bokelmanni notitiam penetraret. Quam invenit  
ansam,



ansam, antiquam Heidelbergensem Academiam invisendi. Ubi ultra anni spatium in eruditorum societate degit, Bokelmanni non duntaxat familiaritate fruens, sed & Excellentissimorum virorum, Dankelmanni, Brandenburgensis quondam Consilarii intimi ac in Camera Berolinensis judicio praesidis eminentis, nuper defuncti, ut & Wedderkopffii, in Cymbrorum Ducis curia Slesvicensi primi hodie Status Ministri, benigna affectione usus. His proinde juris antistitibus, felicissimis ad prudentiam civilem ducibus, eam hactenus viam ingressus fuerat, quae ad publicos honores invitaret: Nihilominus, & alia superioris Germaniae decora lustraturus, Argentinensem ac Tubingensem Academias salutavit, ex doctorum quorumcunq; virorum erudito commercio ornatum suae virtuti omni modo collecturus. Ad patrios tandem lares vix reversum, illustria parentis negotia in aliam iterum dignitate conspicuam pellexere viam. Ab illo namq; Luneburgum abeunte, in Saxoniae inferioris comitiis, Suecorum regis autoritate, Bremensis ducatus titulo, res gubernaturo, haud longe abfuit. Promptam ubiq; nactus occasionem, praeclearissima publici in Romano-Germanico Imperio Status momenta observandi, & praecipua civilis vitae & futuri Jurisconsulti ornamenta comparandi. Quod probe meminisset, res civiles ita nunc esse comparatas, ut legum scientiae jungenda sit curatior publicae in Imperio vicinisq; regnis fortunae cognitio, variarumq; in civili regimine mutationum, foederum praetensionumque textura intime perspicienda, Utpote quae penetralia faustissimorum consiliorum anima sint atq; vita. Quibus vere elegantibus ac publicae saluti profuturis literis probe imbutus, Rostochium, primam studiorum suorum sedem, laetus repetiit: Hoc animo, ut publicum doctrinae civilis ac jurisprudentiae characterem, futuri honoris praeludium, ac

B

solidae



solidæ doctrinæ tesseram, referret. Quod & absque omni scrupulo, anno ætatis vigesimo & sexto, cum laude impetravit, inaugurali Disputatione, De Absentia, A. MDCLXXI. d. XXV. Maji, solenni ritu instituta, ac pro summis in jure honoribus adipiscendis licentiâ acceptâ. His opibus literariis, ingenii bonis, doctrinæq; præfidiis, liberaliter instructus, editis complusculis raræ eruditionis ac profundæ juris civilis scientiæ documentis, à Serenissimis Brunsvicensium ac Lunæburgensium Ducibus in Academiam hanc Juliam accitus, in Professorum ordinem felici fato translatus est, doctrinam Juris extra ordinem publice traditurus. Quod factum A. MDCLXXIII. Cui igitur Academicum vitæ genus divino contigerat decreto, suum facere officium spartamq; pro dignitate ornare constituit: Memor, non nostri esse arbitrii vitæ eligere mensuram, functionisq; statuere modum, sed Numinis supremi voluntatem nutumq; reconditum, sanctissimum & irrefragabile esse de rebus laboribusq; nostris decretum. Aggressus idcirco hoc munus animo præsentem, facturum quod jura profitentem deceret. Ne quid etiam ex Academicis, sibi aut Professioni consecratis, ornamentis lubens præterire videretur, summos in jure ex Doctoris characterè honores, non refragante Academia Rostochiensis, in hac nostra Julia, Academicæ functionis decus, acquisivit. Quod ergo officio fungi consuevisset, aptissimumq; se cathedræ demonstrasset, eam in Serenissimorum Brunsv. ac Lunæb. Ducum curiis gratiam invenit, ut brevi post, A. MDCLXXVII. d. XXVII. Sept. morum disciplina professioq; publica ordinaria in Philosophorum Collegio priori adjungeretur. Neq; quidquam magis in votis habuit, quàm eleganti huic doctrinæ diu præesse, animosq; studiosorum impenso omnis virtutis honestatisq; amore atq; studio inflammare. Veruntamen aliud Numini cœlesti Serenissi-

nissi-



nissimisq; Academiæ nostræ Juliæ Nutritiis placuit, quando, vix anno elapso, A. MDCLXXVIII. Clafenio, Jcto ac Professori, aliò evocato, successor datus Noster, ordinariam Juris professionem, priore philosophica disciplina relicta, amplexus. Hic campus erat, amplissimas ingenii doctes publice privatimq; in studiosorum cœtum longe lateq; diffundendi. Ea siquidem dexteritate & indefessa sollicitudine arduo hoc fungi officio allaboravit, ut & legibus & conscientiæ & auditorum votis atq; commodis responderet. Cujus infracti laboris luculenta extant testimonia, frequentes in cathedra publica domesticaq; institutæ disputationes, aliaq; literaria Academico foro congrua exercitia. Neq; destitit peragere, dum fuit, quod incumbibat, nisi morbi injuria manibus pedibusve remoram injecisset. Inter alia monumenta ab ipso concinnata, ob solidissimam doctrinam & fundamenta juris rationesq; investigandi sagacitatem celeberrimi Jcti, *Hahnii*, quem ex socero avum Noster coluit, *Observata* locum habent *Theoretico Practica ad Matthæi Wesembecii Commentarios ad 50. libr. ff. additis nobilioribus multis responsis ac decisionibus aliisque Additamentis Theoretico-practicis*. Quod opus affectum, fato festinante, hæredes, confidimus, tenebris mancipari non permittent.

Inter cetera serenioris fortunæ exempla lætus numeravit Noster fausti & exoptati matrimonii beneficium. Si quidem A. MDCLXXVII. d. XV. Maji, professione juris jam fungens, moraliumq; disciplina tradenda mox obligandus, meditatam diu sponsam, generosissimæ indolis feminam, **HEDWIGEM SOPHIAM**, Illustris quondam & Excellentissimi Domini **JOHANNIS EICHELII**, *Nobilis de Rautenkron, in Neddeliz, Bornum & Hohnsleben Hæreditarii, Brunsv. ac Lunæb. Saxoque Lauenburgensis, Ducum, Consiliarii intimi & respectivè Vice-Cancellarii*, in Alma hac Julia Juris Professoris



primarii & Facultatis Juridicæ Senioris, in Capitulo B. Mariæ Virginis & S. Pancratii in Walbek Canonici, edecumatæ doctrinæ & sapientiæ viri, Filiam secundam, præsentibus multis Principum urbiumq; imperialium legatis, aliisque proceribus, testibus, sacris sibi thori vinculis jungi atque adunari, ex animo gavisus. Quod connubium, concordiam, tranquillitate, suavissimamq; & nunquam turbatam animorum conspiratione fortunatum, in viginti & quinque annos felicissime est protractum. Cujus memoria negataq; ulterior usura mœstissimam nunc Viduam vehementer excruciat. Non quidem bellula ac delicata amoris conjugalis pignora, exoptata aliis soboles, in parentum sinu exultarunt, suetamque voluptatem cumularunt: Nihilo tamen minus divina hæc sententia neutri adversa, quin placido pectore divino arbitrio uterq; acquievit, nulla ex parte concordiam tenacitate læsa. Audita ex pio defuncti viri ore effata:

Permittes ipsis expendere Numinibus, quid

Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.

Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Dii.

Charior est illis homo, quam sibi. Nos animorum Impulsu, & cæca magnaue cupidine ducti

Conjugium petimus, partumque uxoris. At illis

Notum, qui pueri.

Quin aliis opum ac splendidis luculentissimæ fortunæ beneficiis absentiam liberorum liberalissime compensavit Deus. Quam cœli gratiam uterque devoto pectore amplecti & sereno ore exoculari, qua erant pietate ac religione, non intermiserunt.

In qua luce tamen, his mundi nubeculis & fatorum asperitate, morborum injuriâ cespitasse aut impegisse aliquando Virum optimum, corporisq; humani fragilitatem persensisse, non mirum. In qua lenta ac tenaci ægritudine animo

non



nunquam fractus, sed patientiæ auxilio fortunam fortiter  
sustinuit, divino cuncta committens arbitrio: Suiq; curam  
dilectissimæ, nunc tristissimæ costæ, ea concessit frontis lu-  
bentiâ, ut hoc beatus adjumento, inexplicabili se refectum  
semper gauderet solatio. Utpote quæ nullis in amantissimi  
mariti ægritudine molestiis absterrita aut defatigata, fidem  
conjugalem admirabili constantia testaretur. Cujus connu-  
bii dulcedo eam in mellitissimam uxorem excitavit propen-  
sionem, ut in illius gratiam, quæ patrium amaret solum, vel  
à Principibus ad alia munia vel & in aliam Academiam vo-  
catus, minime sequeretur, modestiâ pariter molli eundem  
habenâ retinente. Neq; dissimulandum, Socerum Socrumq;  
& hanc viduam, à Nostro impensissime fuisse dilectos. Ut  
reciprocus hic affectus in costæ fratrem, sorores, affines &  
cognatos, ut & ex sorore nepotes neptesq;, filiorum instar  
habitos, diffusus, familiam sisteret arctissimis amoris & mu-  
tuæ benevolentiae vinculis indissolubili nexu conjunctam.  
Quod rarum Dei & fortunæ beneficium, nobileque do-  
mus ornamentum.

Honesti & æqui regulam, pro juris & Christianæ pro-  
fessionis tenore, perpetuo sectatus. Ut religioni sibi duce-  
ret, æquitatis religionem in vitæ societate turbare, fidemq;  
aliis debitam subruere aut quassare. Cujus integritatis te-  
stes, quotquot in hac Academia habuit Collegas. Sane, qui  
fucum nescivit, simulationis expers, ingens sui desiderium  
omnibus reliquit. Ostentandi vanitatem odit, conscius, à  
nobis non citius alienari bonos, quàm jactantiâ. Nihil prius  
aut antiquius habuit reverentiâ erga Deum, devotione in  
Principes nutritios, pietate & amore in Collegas & amicos.  
Pectoris religiositatem largâ in pauperes & miseros beni-  
gnitate probavit. In sacris cœtibus sedulus & attentus id egit,  
ut probitatem aleret, humanæq; vitæ difficultates mitigaret.  
Cetera



Cetera beneficus. Quam munificentiam proximæ ante obitum, nescius, structas sibi jam esse à morte insidias, luculento demonstravit argumento, qui cum generosa uxore, beneficentissima femina, novo templo Academico, à Serenissimis Ducibus gloriosissime nobis donato & consecrato, ad aram & suggestum suscitandum certam & insignem æris summam promptissime destinavit. Quæ largitio, pietatis & in publicam rem sacram propensionis tessera, beatissimâ, suâ & religiosissimæ uxoris, luctuosissimæ nunc viduæ, manu scripta & signata. Pignus fidei perquam gratum & acceptum. Tantoq; adeo uberioribus lacrymis obitum Viri deplorabimus, quanto certius tot vestigiis pectoris sinceritatem probitatemque cognovimus.

Postremi autem morbi vim atque impetum, non sine dolore tamen, repetiverimus. A multis quidem annis arthritide vellicatus atque convulsus, calculique nodis ustus ac tortus: Quatuor tamen ante obitum annis à prementium calculorum mole liber sibi visus. Tandem vero, cum tenacioris arthritidis vincula per undecim hebdomadas lectulo ipsum affixissent, urgere atque urere vehementius cœpit infestus calculus, omni aliàs adhibita medela viribus nunc destituta, cum medicinæ virtutem vis morbi superaret. Quantumvis verò brevia intervalla dolorum vehementiam temperare viderentur, majori tamen cum impetu motus ac dolor calculi rediit. Unde continuæ angustia pectus omniaq; viscera affligerunt, impetuosius vomitus membra delassarunt. Unde colicæ nephriticæ passionibus, perpetui vomendi conatus, miæctusq; cruenti, irriti naturæ conatu, absq; ulla torquentis saburræ excretionibus, quam nec interna nec externa remedia promovere possent.

Vergente ad finem fragili vita, die Sabbati, à meridie, die IV. Febr. singultus redeuntes animadverti, qui, ingruentibus

tibus



tibus noctis incommodis, accedente sudore frigido, infau-  
sto nuncio, magis magisque intensi, spe vitæ jam evanescenti,  
& cum spiritu abitum parante. Confessionarius industriam,  
qui fidem abiturientis refocillaret atque roboraret, abunde  
probavit, in cuius sinum peccantis naturæ deliquia & peccatorum  
reliquias devotus effudit, fiduciam in Deum Christi; sanguinem  
intemeratam postrema mascula voce testatus. Quæ seria ultimaque  
de Deo ac imminente in cælum migratione colloquia, ultima  
animæ vota, ultima ad abitum suspiria, ad duodecimam noctis  
horam continuata. Dehinc sopore obrutus: Quem reversuræ  
valetudinis indicem adstantes vane augurati, inscii, somnum  
hunc veram esse mortis imaginem, aut prima necis conamina.  
Quare cum evigilasset, aut respirandi facultatem brevi adhuc  
morula impetrasset, ac de animæ pectorisque parte potiori,  
uxore suavissima, mœrore jam tum pene enectâ, sollicitus,  
eam observari ac solatio refici mandasset, vela contraxit,  
fessaque membra composuit, animulam inter tacita suspiria  
Deo conditori jam jam redditurus. Reversus namque Confessionarius  
circa horam quartam, sermonis quidem, non auditus & rationis  
usum jam defuisse animadvertens, continuas pro illo preces  
ad Deum fudit ardentes, donec ex hac misera vita in alteram  
beatiorum placide exeuntem spiritum pio voto comitaretur.  
Quod divina factum gratia circa horam octavam matutinam,  
die V. Febr. Sic debitum solvit naturæ, vitæ ambitum  
emenus annis quinquaginta & sex, mensibus septem,  
quatuor duntaxat diebus demptis. Sic pro dolor! abiit ex  
hac Academia nostrove cœtu, sed & ex hoc orbe rerumque  
humanarum circulo, quem diutissime vivere optaveramus.  
Abiit, quod non sine gemitu pronunciamus, undecimus  
ex professorio ordine, Collega carissimus, vix undecim  
proximorum annorum per brevi



brevi sed infausto circulo. Quis ante decennium infelix  
& invisus extitisset augur, tam arcto paucorum annorum  
ambitu tot publicos professores ordinarios, nullo eorum  
relicto ordine intacto, ex nostro Collegio ex vivis excessu-  
ros, quot fluent anni. Vah, quam lubrica nostra vita, quam  
vanus omnium labor! Abiere, ut lacrymas & jure quidem  
summo cumulemus omnes, abiere inquam, superioribus  
hisce perpauca annis, HEIGELIUS, BUSMANNUS, ME-  
JERUS, WIDEBURGIUS, CALIXTUS, omnes Theologi.  
Abiere, BOTTICHERUS, & nunc BOEKELIUS, Jcti.  
Abiere MEIBOMIUS & STISSERUS, Medici. Abiere  
SCHMIDIUS & CORBERUS, Philosophi. Sic nulli par-  
sum ordini, non doctrinæ, non famæ, non virtuti. Super-  
sumus. Qui? Quamdiu? Quando ibimus & nos? Quot-  
quot nunc adsumus, quotquot ultima jam sacra facimus  
Professori & Collegæ, qui umbram nostram in defuncto  
coram intuemur, singuli indubitato secuturi. Quotusquis-  
que ergo salivum se cupiet, vel ad plusculos annos & dies:  
Quotusquisque Academia bene precabitur, ac cladem  
aliquot annis à nobis averruncari optabit, ad sacra hodie  
confluet, preces & vota junget, quin & ad paria fata, se-  
rius, ocyus secutura, serio se componet.

*Vox justi facunda SOLONIS*

*Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ.*

P. P. in Acad. Jul. d. V. Martii A. MDCCH.









